



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Het Paradys der Geestelijcke ende Kerkelijcke  
Lof-sangen/ op de principaelste Feest-daghen des  
gheheelen Jaers**

**Afhakker, Aegidius**

**Herzogenbusch, 1621**

Psalmus 138

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55072)

## Psalmus 138.

**D**omine probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam, & funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas previdisti: quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Domine tu cognovisti omnia, novissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.

Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?

Si ascendero in celum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo: & habitavero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius: ita & lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris mee.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.

Nónne qui oderunt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.

Gloria Patri, & Filio.